

Hoc infusum s. debile decoctum hauritur mane, vacuo ventriculo, si vero purgatum insequentibus diebus parciore dosi et debiliore infuso. Radix Ranunculi tamen parcissime addenda, cum illa ventriculo infesta sit.

In debiliore morbo sufficiunt solæ radices *Lobeliæ secundæ Hort. Cliff.** in infuso s. decocto, non diu decocto, et quotidie pro potu ordinario potio.

Confirmata observationibus legi cum stupore, hæc videas graphice ab authore descripta in Actis Stockholmiensibus.

Quæso et supplex quæso mittas mihi semina istius *Lobeliæ*, ut habeam in horto; non dubito quin ea secum ducat Kalmius, sed forte sero nimis accedat, ut semina vix germinent.

His vale et fave. Dabam Upsaliæ, 1750.

ILLUSTRISSIMO CLARISSIMOQUE VIRO

D. D. CAROLO LINNÆO,

BOTANICES PROFESSORI UPSALIENSI CELEBERRIMO,

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIEU.

ANNIS proxime elapsis semina habui quamplurima, quorum amplissimam copiam e Peruviâ miserat frater carissimus, eheu nondum redux! Aliam segetem uberrimam subministravit ex Africâ D. Adanson, de quo scripsi olim cum Senegalam peteret; alteram non mediocrem collegit vir apostolicus P. D'Incarville† jesuita circa Pekin Sinarum metropolin. Ex his omnibus selegi quæ recentiora erant, aut quæ jam a

* *Lobelia siphilitica*, L. Sp.

† Is scientiarum curiosus nec imperitus et Academiæ Parisiensis corresp. socius, ex imperio Sinarum tunc Europæis tam ægre pervio, commercium litterarum ab anno 1741 ad 1755 habuit cum Bernardo de Jussieu, ad quem varia naturæ et artis Sinensis producta, præsertim plantarum specimina, semina, icones, libros transmittibat. Epistolas ejus plus quam viginti possidemus, cum catalogis, descriptionibus, observationibus variis, et, inter alia, herbariolum circa urbem Peking collectum, ubi specimen plantæ hujus Bignoniaceæ ex quo genus *Incarvillea* ab A. Laur. de Jussieu institutum. Cæteras enumerare et describere in florulam digestas animus erat; sed abstinuimus cum plerasque easdem notas fecerit in Act. Academ. Petropolitane cl. Al. Bunge (*Enumeratio Plantarum quas in Chinâ boreali collegit*. 1832). Notanda in hâc florâ Pekinensi, quæ ad geographiam botanicam tanti intersit, quædam hinc cum Europæanâ affinitas, inde cum Boreali-Americânâ; cujus cæterum nunc, semireseratis Cælestis Imperii prius undique clausi ostiis, notitia plenior expectanda.